



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Incarcerati.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Incarcerati.

Incarceribus per infamiam & bonam famam
ut seductores & veraces. 2. Cor. 6. viri Apo-
stolici, in carcere erant, & non visitastis me.
Matth. 25. Bonum est, ut vir Apostolicus se-
lecta sibi comparet ad convertendos ob scelera
incarceratos. Maximè si ad mortem educendi
sint homines crudi effrontes desperabundi. Cer-
tè ad homines ejusmodi diu non confessos, &
sceleribus quasi insepultos convertendos mag-
nus animus, magna dexteritas, & ante omnia
singularis Dei gratia requiritur, nec bona sem-
per est praxis quorundam, ut nunquam permit-
tatur educuro Sacerdoti ad ferale supplicium
ejusmodi homines ad illos accessus quàm post
indictam mortem triduo ante eam. Fit hoc ex
metu, ne Sacerdos suis consiliis fortè juvet fon-
tes ad evadendam mortem, vel etiam impetret
gratiam à Principe mediatè per alios aut imme-
diatè. Sed (præterquam quòd ille id facere
non deberet, nisi gravissimis non sibi tantùm,
sed & prudenti experto ac impartiali viro appa-
rentibus causis, cum exigua imò nulla sæpè sit
misericordia hominem benè dispositum libera-
re à morte corporis, & præsentì vel valdè pro-
babili animam & corpus ejus denuò exponere
periculo) sæcularis Judex non est expertus, quæ
ars, quæ gratia requiratur ad conversionem in-
veterati peccatoris, & quod id non semper intra
tam breve tempus fiat.

Sol-

Solvetur Satanas de carcere suo, & seducet gentes (sub finem mundi ad obsequium Anti-Christi) Gog & Magog. Apoc. 20. Sunt populi Tartariæ militaturi pro Anti-Christo.

§. 4tus,

Diversi status & conditiones hominum,
Conjugati.

Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & sua libidini vacent sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Habet potestatem demonium super eos, Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Tob. 6. Ita Archangelus Raphaël voluit: ut Tobias non nisi post preces tribus noctibus fusas cognosceret uxorem suam. Et primâ nocte oraret pro dæmonio fugando, Secundâ, ut particeps fieret meritorum sanctitatis & privilegii Patriarcharum. Et tertiâ: ut proles ex uxore susceperet. Cæremoniæ tales non cadunt sub præceptum: merentur tamen reflexionem. Ecertum est, quod felicitas temporalis ac æterna pendeat à Sacramento matrimonii in statu gratiæ sanctificantis suscepto, intentione bonâ pravam excludente libidinem, multisque precibus, & bono delectu præmissis. Sicut e contra idem tam multa sunt infelicia matrimonia quia in statu peccati mortalis, vel pure ex libidine